Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25878
Copyright: Admont, Benediktinerstift

278v

tuatio infirmaretur. aut firmaretur. Item Innocentius.
Nemo iudicabit primam sedem **Prima sedes nullius iudicio subiaceat.**
iusticiam temperare desiderantem. Neque enim ab augusto. neque ab omni clero. neque a regibus.
neque a populo iudex iudicabitur. Item Symachus.
Aliorum hominum causas deus voluit per homines terminare. sedis istius presulem suo sine
questione reservari arbitrio. Voluit beati petri successores celo tantum debere in
nocentiam. et subtilissimi discussoris indagini inviolatam habere conscientiam.
Nolite estimare eas animas inquisitoris non habere formidinem quas deus pre ceteris suo
reservavit examini. Non habet apud illum reus de alligationis nitore subsidium. quan
do ipsorum factorum utitur teste quo iudice. dicas forsitan. omnium animarum tali erit
nulla disceptatione iudicio. Replicabo uni dictum. tu es petrus et super hanc
petram edificabo ecclesiam meam. et quecumque solveris super terram. erit solutum et in celis.
Et rursum sanctorum voce pontificum dignitatem sedis eius factam toto orbe venerabilem
dum illi quicquid fidelium est ubique submittitur. dum totius corporis caput esse designatur.
De hac mihi per prophetam dictum videtur. Si hec humiliatur. ad cuius fugietis auxilium.
et ubi relinquetis gloriam vestram. Item Anterius. **De eodem.**

Facta subditorum iudicantur a nobis. nostra vero iudicantur a domino. Deteriores sunt qui
vitam moresque bonorum corrumpunt. his qui substantias aliorum prediaque diripi
unt. Item Gelasius. **De eodem.**
Ipsi sunt canones qui appellationes
totius ecclesie ad huius sedis examen voluerunt deferre. ab ipsa vero nusquam pror
sus appellare debere sanxerunt. ac per hoc illam de tota ecclesia iudicare. ipsam
ad nullius commeare iudicium. nec de eius umquam preceperunt iudicio iudicari.
sententiamque eius constituerunt non oportere dissolvi. cuius potius sequenda decreta
mandaverunt. Item omnibus episcopis.
Cuncta per mundum novit ecclesia quod sancta romana ecclesia fas de omnibus habeat iudi
candi. neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. siquidem ad illam de qualibet
mundi parte appellandum est. ab illa autem nemo est appellare permissus. Sed nec
illa preterimus quod apostolica sedes sine ulla synodo precedente et solvendi quos synodus
iniqua dampnaverat et dampnandi nulla existente synodo quos oportuit habuit
facultatem. et hoc nimirum pro suo principatu quem beatus apostolus petrus domini voce
et tenuit semper et tenebit. Idem episcopis per dardaniam constitutis. Cuncta per mundum

Marginalia: S. vi. q. i. Ex merito. Deteriores. — S. p. i. d. xii. Preceptis. — S. p. i. d. xii. Nolite — Preceptis.